

EPISTOLA
EMINENTISSIMI CARD. RAMPOLLA
NOMINE LEONIS XIII

AD AUVOREM MISSA

Revme Domine,

Tria, quæ misisti, Disputationum theologicarum volumina
eisque adnexæ litteræ observantissimæ, obsequium Sancto
Patri gratissimum attulerunt.

Tuæ quidem Dominationi Revmæ libuit in illis litteris ad
mentem Suæ Sanctitatis revocare ea quæ, peracta a te coram
augustissimo Pontifice theologica disputatione, Ipse ad foven-
dum scientiæ zelum tibi tunc fuerat elocutus. Atque idem
Beatus Pontifex de hoc maxime lætatur quod non solum
memoriam ejus dictorum retinueris, verum etiam quod facto
comprobaveris te libenti obsequentique animo ea suscepisse.

Laudat igitur Summus Pontifex studium quod adhibes
illustrandis aureis Thomæ Aquinatis doctrinis, Eique gratu-
lationi est quod in illo efficiendo opere validam mentis disci-
plinam magnumque ingenii acumen demonstres. Quocirca,
dum Ipse te ad opus tam utile, in sanæ philosophiæ bonum,
prosequendum hortatur, libentissime paternoque motus affectu
tibi imploratam benedictionem impartitur.

Gaudeo hanc mihi occurrere opportunitatem tibi signifi-
candi meos in te præcipuæ existimationis sensus meque pro-
fitendi

Tuæ Dominationis Revmæ

Devotissimum servum

M. CARD. RAMPOLLA.